

Paul Tarnow Daniel Michaelis

Disputatio De Ministerii Evangelici Apud Lutheranos Veritate, Atque Eiusdem Fructu Et Efficacia: De Ministrorum Verbi Divini Vocatione, Huius Necessitate, Iure, Et Legitima Vocandi Ratione, Illorum Que Examine Et Ordinatione

Rostochii: Ferberus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737569700>


Druck Freier  Zugang



RU Med. 1618.

Paul Tarnow, Bras 10

Verf.: Daniel Michael. Resp.



1618 365003

Disputatio

De

MINISTERII EVANGELICI APUD LUTHERANOS VERITATE, ATQUE EJUSDEM FRUCTU ET EFFICACIA: DE MINISTRORUM VERBI DIVINI VOCATIONE, HUIUS NECESSITATE, JURE, ET LEGITIMA VOCI-
CANDI RATIONE, ILLORUM QUE EXAMINE ET ORDINATIONE.

Ad cujus theses in publica ^{auditione} examinandas

AUXILIANTE DEO TRINUNO
SUB PRÆSIDIO

PAVLI TARNOVII, D.

& SS. Theologiæ Professoris,

Respondebit publicè

M. DANIEL MICHAEL, Anclamenfis Pomeranus,

In auditorio majori, nonis Decembris,



Rostochij, per Augustinum Ferberum, Anno 1618.

RU theol 1618



1932. I 217



Vocationis divinæ & missionis ad prædicandum Evangelium legitimæ quanta sit necessitas, præter ea, quæ passim cum in initio prophetiarum & apostolicarum epistolarum, tum alibi in scriptura sacra occurrunt, unicus Pauli locus Rom. 10. v. 14. testatur. Illâ v. quomodo nõ satis attēdāt & observēt, qui in sacrosancto ministerio locū ambiūt vel obtinent, ut nihil de experientia dicam, ostendit veterum distinctio, quæ exstat apud August. T. 4. in opusculo, cui titulus, LXV. quæstionum dialogus, & apud Hieronymum T. 9. in initio commentarij super epistolam ad Galatas: qua docent, ministrorum verbi divini alios nec ab hominibus, nec à Deo per homines, alios à Deo, sed per homines, alios neq; à Deo sed ab hominibus, alios deniq; neq; à Deo, nec ab hominibus mitti. Horum singula quidnam sint, & quomodo à se invicem differant, cum nosse omnium intersit, maxime eorum, qui theologiæ studijs operam dāt, non abs re nos facturos speramus, si quæ ad hæc illustranda & explicanda pertinent, quæstiones ad *εὐχέλυσιν* placidam & eruditam publicè proponeremus. Cæterum quia in specie de ministerio nostrarum ecclesiarum, & in genere de ministerij fructu nonnulla alia occurrunt controversa, conjungendo ea ipsa cum ante dictis, duo generalia totius disputationis capita constituemus: I. De ministerij in nostris ecclesijs veritate, deq; totius ministerij fructu & efficacia. II. De ministrorum verbi divini vocatione, examine, & ordinatione.

I.

DE MINISTERIJ ECCLESIASTICI IN
ecclesijs nostris veritate, & de totius ministerij fructu
& efficacia,

T H E S I S. I.

DE ministerio sacrosancto licet varia utiliter queri possint, in præsentia tamen duobus, quorum mentionem fecimus, proponendis erimus contenti: I. Q. An verum & legitimum sit in nostris ecclesijs ministerium? R. nos affirmamus, Pontificij negant, qui

gant, qui ecclesiam apud nos veram esse non concedunt, propterea quod veri pastores sive ministri apud nos sint nulli, neque verum in nostris ecclesijs ministerium esse agnoscunt. (vide Bell, lib. 2. de ecclesia, cap. 6. & lib. 1. de clericis, cap. 3. item Laurentii Arturi assertiones, de ordinatione & vocatione ministrorum, part. 2. assert. 1.)

2. Argumenta pro nostra sententia afferemus duo: Unum: In quacumque ecclesia sunt essentialia ministerij, quae scriptura requirit, ibi verum est ministerium. In ecclesijs Lutheranorum sunt illa: quod constat partim ex ijs scripturae locis, quae agunt de ministerio & vocatione, ordinatione & missione ministrorum (quae sunt de essentia ministerij:) partim ex adversariorum silentio & defectu, quo in probatione laborant, dum requisita illa controversa, propter quorum a ministerio nostro absentiam verum & legitimum illud esse negant, ex scriptura probare non possunt. E. & hoc.

3. Alterum: Vbi est effectus ministerij, nempe insertio in ecclesiam, & salus hominum, ibi est verum ministerium, ejus causa instrumentalis ordinaria. In Lutheranorum ecclesijs est prius, testibus adversarijs, qui baptizatos a nostris infantes non excludunt ecclesiae gremio, aut calorum regno: etiam adultos transfugas & ad Pontificios deficiētes non rebaptizant: unde patet eos, ipsorum testimonio in ecclesiam insertos per baptismum judicari. E. & posterius.

4. II. Q. An Deus per ministerium verbi & sacramentorum sit efficax, accendendo per illud veram sui agnitionem, fidem & ceteras virtutes ipsi placentes, & impertiendo omnia beneficia Christi, aeternamque salutem credentibus Evangelio? R. I. Nos affirmamus: Calviniani negant. (vide Calvinum lib. 4. institut. cap. 14. § 17. epistolam ejusdem 353. Bezae part. 2. resp. ad Coll. Mompelgardense pag. 115. 116. Grynæum in disp. Heidelbergensi 1584. thesi 6. & 17.)

5. Sententia nostra adversariorumque, ut rectè intelligatur, sciendum est, controversiam totam esse de modo, quo in nobis regenerandū utitur Deus, sitne ille mediatus an immediatus: & si mediatus, quod nos affirmamus, an per instrumenta, quae sunt verbum & sacramenta, eorumque dispensatores sive ministri ecclesiae, effectivè producat, & propriè produci dicatur effectus sive opus regenerationis, an tantum significativè & figuratè? Nos prius ex scriptura asserimus, Calviniani posterius: qui licet per praedicationem sive ex auditu verbi praedicati fidem esse in scriptura dici, & verbum, quod auribus nostris insonat, semen vitae à Petro nuncupari concedant: tamen id tantum

μετω-

μετ' ομοιωσιν & phrasi sacramentali fieri volunt, qua ministerio effectus ministerij interni, cohonestandi eius gratia, tribuatur, (ut disertè affirmat Gryneus in diss. Heidelbergensi, thesi 6. & 17.) siquidem verbo Dei lecto, predicato & audito nulla vis divina insit, efficiendi vitam in nobis spiritualem, sed tantum significandi res illas, de quibus dicitur, & declarandi, quod Spiritus Dei solus sua vi intus præstat, ut Beza loquitur part. 2. respons. ad colloq. Mompelgard. p. 115. & 117.

6. Argumenta pro nostra sententia, quibus probatur & efficacia verbi & Spiritus Sancti operatio per illud, colligi possunt ex scripturæ dictis & exemplis.

7. Dictorum scripturæ alia ex Veteri, alia ex N. T. sumi possunt. Ex V. T. sint hæc: Esa. 53. v. 1. Domine, quis credidit auditui nostro? quod Paulus allegat Rom. 10. v. 16. 17. indeq; concludit, fidem esse ex auditu. cap. 55. v. 10. 11. Quomodo descendit imber & nix de celo, & illuc ultra non revertitur: sed inebriat terram, & germinare eam facit: sic erit verbum meum. Jerem. 23. v. 28. 29. Qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè: quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Nonne verbum meum est ut ignis? dictum Jehova: & sicut malleus conterens petras? Obad. v. 21. Ascendent Salvatores in montem Tzyionis ad iudicandum montem Esavi, & erit Domino regnum.

8. Ex N. T. & quidem ex Evangelistis & actis apostolicis sint hæc: Matth. 10. v. 20. Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, cap. 16. v. 19. Tibi dabo claves regni caelorum, & quicquid alligaveris in terra, erit alligatum in caelis: & quicquid solveris in terra, erit solutum in caelis. Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit. Johan. 1. v. 6. 7. Erat homo missus à Deo, cui nomen Johannes: hic venit ad testificandum, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per eum. cap. 17. v. 20. Non pro his rogo tantum, sed & pro his, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. cap. 20. v. 22. 23. Accipite Spiritum S. quorumcumq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcumq; retinueritis, retenta sunt. Act. 11. v. 13. 14. Emitte viros Joppen, & accerse Simonem cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus est, per quæ serveris, & tu, & universa domus tua.

9. Ex epistolis apostolicis, quæ hæc adduci possent, eorum sedes tantum indicabimus. Rom. 1. v. 16. cap. 3. v. 20. cap. 7. v. 7. cap. 10. v. 17. 1. Cor. 1. v. 21. cap. 3. v. 5. & v. 9. cap. 4. v. 1. & v. 15. cap. 15. v. 1. 2. & v. 10. 2. Cor. 2. v. 15. 16. cap. 3. v. 6. & 8. cap. 5. v. 20. cap. 10. v. 4. Gal. 2. v. 8.

cap. 3. v. 2. Eph. 4. v. 11. 12. 1. Theß. 2. v. 13. 1. Timoth. 4. v. 16. Jacobi 1. v. 21. 1. Pet. 1. v. 23. & 25.

10. *Exempla efficacie ministrorum verbi in suis auditoribus sint hæc pauca ex plurimis: I. Nathani in Davide, 2. Sam. 12. v. 1. & seqq. II. Jona prædicantis respicientiam Ninevitis, & horum prædicationi Prophe-
te credentium & respicientiam, Jona 3. v. 5. & seqq. III. Johannis baptis-
te, de quo testatur angelus à Deo missus ad patrem ejus Zachariam, quod
multos filiorum Israel conversurus sit ad Dominum Deum ipsorum, & conver-
surus corda ipsorum, & conversurus corda patrum in filios, & rebelles ad pru-
dentiam justorum, ut paret Domino populum instructum, Luca 1. v. 16. 17.
cujus prædictionis complementum describitur cap. 3. v. 10. & seqq. IV. Petri
apostoli, cujus concionem audientes compuncti sunt corde & sollicitè quæsive-
runt, quid sibi esset faciendum, ut servarentur, Act. 2. v. 37. & seqq. ubi v.
41. ter mille conversi & baptizati leguntur. Eodem concionante, multi,
qui audiverunt ejus sermonem, crediderunt, aded ut factus sit numerus viro-
rum quasi quinquies mille. Adde Act. 10. v. 44. V. Pauli, qui testatur ipse, Je-
sum Christum Filium Dei sibi prædixisse, cum conversum missus erat ad
prædicandum evangelium, quod ipsius ministerio aperiendi fuerint oculi
gentium, ut se converterent à tenebris ad lucem, & à potestate Sathana ad
Deum, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos acciperent per
fidem, quæ erat in ipso, Act. 26. v. 18. cujus prædictionis veritatem in eventu
restantur acta apostolica, (vide cap. 14. v. 27. cap. 15. v. 4. & 7. cap. 16. v.
14. & 31. cum seqq. cap. 17. v. 4. & 11. cum seqq. item v. 34. cap. 18. v. 8.) &
epistole Pauli: in quibus passim celebrat fructum prædicationis suæ & ministe-
rii, (vide 1. Cor. 1. v. 4. & seqq. Eph. 1. v. 8. Philipp. 1. v. 5. Coloss. 1. v. 3. 4.
1. Theßal. 1. v. 5. 2. Theßalon. 1. v. 3.)*

11. *Auctarij loco esse possunt dicta nonnulla Patrum: quorum lectio
& consideratio, præterquam quod nostrum cum antiquitate in hac doctrina
consensum ostendit, etiam eo nomine utilis esse potest, ut inde pateat, numquid
verum sit, quod Beza part. 2. resp. ad coll. Mompelg. pag. 117. scribit, Patrum
dicta ministerium evangelij commendantium à benedictione,
quæ Dei unius in solidum propria est, (quod rectè intellectum conce-
dimus) non aliter esse intelligenda, quàm quod Dei Spiritus sua vi
intus præstet ea, quæ per vocem hominum declarat, & tum ver-
bis tum adjunctis signis visibilibus significat: nec patres quic-
quam divini vel verbis suis (sive potius Dei verbo ab ipsis prædicato,
Matth.*

Matth. 10. v. 20.) vel sacramentis ipsis ultra significationis u-
fum attribuisse.

12. *De verbi Dei efficacia plane divina supra omnem humanam doctrinam locus insignis existat apud Lactantium lib. 3. instit. divinarum, cap. 26. Cujus initium est tale: Quod ergo illi (Ethnici) poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neq; ipsi facere potuerunt, neq; à philosophis fieri posse viderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis, quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam potuerunt, qui nihil persuadent etiã sibi? aut cujusquã cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt, cum ipsi & cedant vitijs, & fateantur plus valere naturam? Dei autem præcepta, quia & simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Hæc probat longa inductione exemplorum, & illustrat à contrario doctrine philosophicæ: tandemq; ita concludit: Sapientia eorum (Philosophorum) ut plurimum efficiat, non excindit vitia, sed abscondit: pauca verò Dei præcepta sic totum hominem immutant, & exposito vetere novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse.*

13. Chrysost. homil. 46. in c. 23. Matth. ita scribit: Omnia verba divina, quamvis rustica sint & incompressa, viva sunt: quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, & ideo vivificant audientem, sicut testatur Petrus ad Christum dicens: Quo ibimus? verba viva habes.

14. Augustinus autem tractatu secundo in epistolam Johanni, de modo conversionis mediato per prædicationem verbi, testatur hu verbis: Unde credituri sumus, nisi unde & ipsos palpantes voluit confirmare, aperuit enim illis scripturas, & ostendit eis, quia oportebat pati Christum, & impleri omnia, quæ de ipso scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis.

15. Idem lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 11. Cum verò interpositum est, Hoc cum dixisset, insufflavit, & ait illis, Accipite Spiritum Sanctum: & deinde illatum, per eos vel remissionem vel retentionem fieri peccatorum; satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos utiq; Spiritum Sanctum, sicut alio loco dicitur: Non enim vos estis. qui loquimini, sed Spiritus S. qui in

qui in vobis est. Spiritus autem Sanctus in ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur eum Spiritus Sanctus, & ad ejus mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur: si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est, Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum: deest quidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.

16. *Non dissimilis huic locus est apud eundem tract. 46. in Joh. Habet, inquit, ovile Domini præpositos & filios, & mercenarios. præpositi autem, qui filij sunt, pastores sunt. Si pastores, quomodo unus pastor? nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris, cujus sunt oves propriæ? nam & ipsi membra sunt ipsius unius ovis, qui sicut ovis ad immolandum ductus est. Audite autem quia & mercenarij necessarii sunt. multi quippe in ecclesia sua commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eas vox Christi auditur: & sequuntur oves non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos. Scribæ, inquit, & Pharisei cathedram Moïsi insident: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? sedendo enim super cathedram Moïsi legem Dei docent: ergo per illos Deus docet: sua verò si illi velint docere, nolite audire, nolite facere,*

II.

DE MINISTRORUM VERBI DIVINI vocatione, examine & ordinatione.

T H E S I S I.

DE ministerij ecclesiastici in nostris Ecclesijs veritate, ejusq; fructu & efficacia, quantum instituto nostro convenire existimavimus, hæcenus actum est: sequitur de ministrorum verbi vocatione: ubi I. Q. An vocatio sit necessaria, adeò ut citra eam nemini docere liceat publice in ecclesia? R. nos affirmamus, Anabaptistæ negant.

2. Voca-

2. Vocationem in genere nominamus actionem divinam, qua u-
numquemq; in illud genus vite & functionis, sive private sive publice, cui ab
ipso Deo destinatus est, constituitur; idq; ex Hebreorum idiotismo, apud quos
dicitur Dominus vocare, quos facit existere, & vicissim à Domino vocari, qui
existere incipiunt: sive id referatur ad ipsam essentiam & existentiam, ut
quum dicitur Dominus vocare, ea que non sunt, tanquam sint, Rom. 4. v. 17.
sive ad qualitates aut ad attributa, 1. Cor. 7. v. 20. & seq. Nec improbabili
est eorum sententia, qui inde translationem hanc desumptam putant, quod
quum aliquid existere incipit, tum nomen habeat, & quum novam induit
qualitatem, tum quoq; novum sumat cognomentum.

3. Vocatio autem alia cum sit ecclesiastica, alia politica: Ecclesiastica
porro distinguitur in communem omnium Christianorum ad Ecclesiam sive
ad Christianismum, & in singularem ministrorum ad docendum Dei verbum,
& ad sacramenta in Ecclesia administranda: & hæc ipsa considerari possit
trifariâ: (1.) respectu principii à quo, cum Dei tum hominum, per quos vocatio
peragitur, unde mediata vel immediata dicitur. (2.) respectu termini ad quæ,
sive maius objecti, & hominis vocandi, qui & exterius & interius vocari potest:
(3.) respectu finis quæ, sive Ecclesie, cui vocatur: que potest esse vel constituta vel
constituenda: in hac autem extraordinaria opus sit, in illa ordinaria lo-
cum habeat; sciendum est; nos hic agere de mediata, eaq; externa & ordi-
naria.

4. Necessariam eam dicimus absolutè cuivis suscipere volenti par-
tes ministerii in Ecclesia, & quidem ratione præcepti & mandati divini: non
ratione ordinis & decori tantum: quorum hoc concedunt Photiniani, illud
negant (vide Ostorod. in institut. cap. 42. Smaltzium contra D.
Frantzium in refutatione disput. quartæ posterioris, quæ est de
ordine ecclesiast. ad thesin 100. pag. 377.)

5. Argumenta pro nostra sententia suppeditant testimonia scri-
pturæ, exempla probata, & rationes. Testimonia sint hæc: Jerem. 14. v.
14. Falsi prophete vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi
eis, neq; locutus sum ad eos: visionem mendacem, divinationem fraudulentâ,
seductionem cordis sui prophetant vobis. c. 23. v. 21. Non mittebam Prophetas
istos, & illi currebant, non alloquebar eos, & ipsi prophetant. c. 27. v. 9. 14. 15.
Nolite audire verba istorum, quia non misi eos, sed ipsi prophetant nomine meo
falsò. Act. 20. v. 28. Attendite regi, in quo Spiritus S. vos posuit episcopos;
ad pascendam ecclesiam Dei, Rom. 10. v. 15. Quomodo predicabunt, nisi missi
suerint?

fuerint? Eph. 4. v. 11. Ipse Christus dedit alios quidem apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, alios pastores & doctores. 2. Tim. 3. v. 6. Ex his sunt, qui irrepunt domos. Tit. 1. v. 5. ait apostolus, se propterea reliquisse Titum in Creta, ut oppidatum constitueret presbyteros: unde D. Luth. T. 5. in Pf. 82. fol. 76. a. recte colligit, eum hoc ipso vetuisse, ne quis se ingereret. Heb. 5. v. 4. Nec quisquam sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo. 1. Petri 5. v. 3. designata singulis parochiæ appellantur & Angli, h. e. sortes divinitus assignatae suis pastoribus.

6. Exempla probata occurrunt in historia sacra: Vocatio Moysis, Exodi cap. 3. v. 10. Aaronis, ibid. c. 28. v. 1. 1. Paralip. 23. v. 12. Heb. 5. v. 4. prophetarum, Esaiæ, Jeremie, & cæterorum, qui initio prophetiarum de vocatione sua auditores reddunt certos: ipsius Christi, Heb. 5. v. 5. & Apostolorum, Joh. 20. v. 21.

7. Illustrari hoc argumentum, ab exemplis probatis desumptum, potest contrario Christi iudicio, qui Sathanam etiam vera dicitur audire noluit, quod citra vocationem predicabat, Marci 1. v. 34. Luca 4. v. 41. ut Lutherus T. 5. Jen. fol. 76. b. docet. (Conjungi cum his utiliter possunt, quæ scripti D. Lutherus T. 5. wider die Schleichet vnd Wincelprediger / fol. 551. a. T. 6. fol. 382. b. in der warnunge / für die Wincelprediger sich zu hüten / noch derselbigen Geister zu hören / sie haben den beweißer / das sie von Gott gesandt sein.)

8. Rationes addimus tres: Prima: In cæteris statibus & ordinibus, politico nimirum & Oeconomico, nemini licet propria auctoritate citra vocationem in alterius repub. aut domo gubernationem invadere: 1. Theß. 4. v. 11. 1. Pet. 4. v. 15. E. multo minus in ecclesia. (vide Luth. T. 5. Jenensi, fol. 554. b.)

9. Secunda: Nullum officium suscipiendum est sine vocatione: Matth. 20. v. 1. Luca 19. v. 13. Ministerium est officium: quod patet vel ex vulgari appellatione nostrate, qua dicitur, das Predigamt. E. non est suscipiendum sine vocatione. (vide Lutherum ibid. fol. 552. b.)

10. Tertia: Si licet se ingerere in unam ecclesiam citra vocationem, licebit etiam in aliam, & consequenter in omnes. At non hoc ita enim turbabitur ordo divinitus inter docentes & discentes institutus, quod est contra monitum apostoli, qui in ecclesia vult omnia fieri decenter & ordine, 1. Corin. 14. v. 40. nec ulla ecclesia relinquatur tranquilla & imperturbata, sive citra schismata & desolationem. E. nec illud. (Luth. ibidem.)

De voca-

11. De vocationis necessitate hac dicta sufficiant: ut de legitima etiam vocandi ratione agamus, esto **II. Q.** Mediatæ vocationis jus & potestas sitne penes unū ordinē in Ecclesia, an penes omnes? **R.** Pontificij, Politicorū nonnulli, & Anabaptistarū quidā penes unū ordinē: primi nimirum penes solos clericos, quos ita vocant, vel potius horum præcipuos: (Bell. lib. 1, de clericis cap. 3.) mediū penes magistratum politicum: postremi vel citra vocationem currere, vel vocandi & mittendi potestatem penes plebem esse statuunt (vide Chemnitium L. C. part. 3. pag. 326.)

12. Sententia nostra ut rectè intelligatur, in subiecto triplex distinctio necessaria est: Vna inter jus summum, quod est unius & solius Dei, Jerem. 23. v. 21. Matth. 9. v. 3. Act. 13. v. 2. & 4. c. 20. v. 28. Eph. 4. v. 8. **11.** & inter jus delegatum, quod totius ecclesie esse dicimus in hac causa sive in hoc negotio. Altera, inter juris delegati (de quo hic agi ostendit mediate vocationis appellatio) proprietatem sive possessionem divinitus attributam, & inter ejusdem concessionem voluntariam, alijs ordinibus factam. de proprietate enim est questio hoc loco, cum de jure & potestate vocandi ministros ecclesie disputatur, penes quem ordinem illa sit lege divina, non autem concessione humana. siquidem ipse Bellarminus loco allegato concedit, jus eligendi fuisse aliquando & aliquo modo penes populum, sed Pontificum concessu & conniventia, non lege divina, nos verò hoc negamus, qui lege divina illud omnibus in ecclesia ordinibus tributum asserimus. Interim non negamus, hoc jus, cujus proprietatem & possessio est totius ecclesie, concessione quadam aliquando transferri in unum ordinem posse: ubi quod aliena fidei commissum est, non protinus amissum esse censendum est. Tertia deniq; inter jus ipsum vocationis, & inter actus ad illud pertinentes, quorum alijs pauciores, alijs plures constituunt. Forum alijs, ut sunt examen & judicium de doctrina, solis clericis competunt, qui tamen quicquid agunt, nomine totius ecclesie agunt: id quod de alijs actibus similiter sentiendum est.

13. Ordines, de quibus in prædicato agitur, tres sunt, pastores sive ministerium, magistratus & populus, qui à Pontificijs ad duos revocantur, ijꝑ sunt clerici & laici; (vide Bellarminum lib. 1 de clericis, cap. 2. T. 1, controversia quinta.)

14: Argumenta pro nostra sententia asseremus partim κατὰ κενωσικὰ, partim ἀνασκηνωσικὰ. Prioris ordinis sint hæc tria: Pri-

mum: Cujus est omnia divina delegatione ad adificationē ecclesie necessaria procurare, ejusdem etiam est jus & potestas vocandi ministros ecclesie. his enim in primis opus est, Rom. 10. v. 14. At ecclesie est ista omnia, procurare. 1. Cor. 3. v. 21. 22. E. ejusdem est jus & potestas vocandi ministros.

15. Secundum: Cujus ministros vocati se esse jure agnoscunt, illius est jus & potestas eos vocandi. At vocati agnoscunt jure se ministros & economos 1. Cor. 4. v. 1. in domo Dei, quae est Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 15. E. ejusdem est jus vocandi ipsos.

16. Tertium: Si ecclesie totius non est hoc jus & potestas vocandi ministros, mala fide primis aliquot seculis egit ipsa usurpando illud. At non hoc: ita enim ipsa rapine injuste, & ministri omnes illegitime vocationis rei forent: siquidem concessio, quam Pontificij factam dicunt, contra legē divinam indulgeri nequit, & ex indultu usurpata facit vocationem illegitimam, E. nec illud. Propositionis illustratio peti potest ex Act. 13. v. 23. Cypriani lib. 1. ep. 4. (quae est in recentiori editione Goulartii epist. 68. § 4.) ubi ait, de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe presente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.

17. Posterioris ordinis sint haec: Primum: Solum apostoli non habuerunt jus eligendi ministros ecclesie in minoribus negotijs, quam est officium predicandi verbum & administrandi sacramenta; ut constat ex Actis cap. 6. v. 3. & 5. 1. Cor. 16. v. 3. 2. Cor. 8. v. 19. E. multo minus habent hoc soli ecclesiastici hodie in ministris verbi vocandi. (vide Lutheri T. 2. german. Jen. fol. 245. b.)

18. Secundum: Illud soli magistratui seorsim lege divina competit, quod in ea certum habet testimonium. At jus vocandi ministros ecclesie nusquam in lege divina habet testimonium, quod sit magistratus politicus seorsim & solius. E. id ei seorsim lege divina non competit.

19. Tertium: Furis legitimi & usurpati dari possunt exempla probata. Furis illius, quo soli plebi, exclusis caeteris ordinibus arrogatur potestas vocandi ministros Ecclesie, nulla possunt dari exempla probata. E. illud jus, quod pretenditur, non est legitimum.

20. Exposito haecenus legitime vocationis jure, proximum erit, ut de illegitime vocatis nonnihil addamus. Sit igitur III. Q. An illegitime vocati, tanquam legati Dei, audiri debeant? R. per distinctionē: de totaliter & ex omni parte illegitime vocatis negamus; de alijs, qui ex parte tantum aliqua illegitime vocati sunt, concedimus. Pro

21. Pro declaranda nostra sententia sciendum est, quid vocemus mediatam vocationem (de qua sola hic agimus, ut patet ex thesi quarta) totaliter illegitimam & inordinariam, & quid sit, quae statuitur talis ex parte tantum: illa est, quae citra ullius in ecclesia ordinis suffragium ab aliquo extra eam posito per vim peragitur & instituitur, qualis esse potest Pontificius aut alius magistratus haereticus: haec vero, quae ab uno vel etiam duobus ordinibus ecclesiae, excluso tertio, vel duobus, alijsve legibus vocationis legitime violatis, peragitur. Prior planè nulla est, & prorsus similis eorum, qui citra omnem vocationem currunt, seq̃ ipsos ingerunt, cujus operam ecclesia, salva & illesa conscientia, in praedicatione verbi & administratione sacramentorum, tanquam ministri divinitus ad se missi, usurpare non potest. posterior vera est, quamvis non secundum leges peracta, vel quod unius alteriusve ordinis suffragium neglectum, vel quod eligentes aut etiam elegendus contra electionis leges aliquid admisit.

22. Argumenta pro nostra sententia possunt afferri triplicia: scripturae testimonia, auctoritas sive iudicium magnorum virorum in ecclesia, & rationes. Testimonia scripturae, quae pro vocationis necessitate supra allegata sunt, quando citra vocationem nemini docendum esse probavimus, huc accommodari possunt: sunt enim unum & idem, nullam habere vocationem, & habere vocationem nomine tantum, non re ipsa: qualis est eorum, qui à nullo ordine ecclesiae sunt vocati, sed ab hoste ejus invitis obtrusi.

23. Auctoritas & iudicium unius D. Lutheri, nobis esse potest instar multorum. videri illud potest T. 2. Jenensi germanico, fol. 245. a. in tractatu, quo causas explicat, ob quas licitum sit ecclesiae Christianae inquirere in dogmata docentium & vocare ministros verbi, eosq̃ abdicare. Verborum ejus, si latine convertantur, sententia est haec: Si hodierni Episcopi & Abbates occuparent Apostolorum sedem, sicuti jactitant, tum sanè fieri posset, ut permetteretur eis, quod Titus, Timotheus, Paulus & Barnabas in ministrorum ordinatione fecerunt. posteaquam autem Diaboli sedem occupant & lupi sunt, qui Evangelium nec docere nec tolerare volunt: idcirco non magis spectat ad illos ordinatio ministerij, & cura animarum inter Christianos, quam ad Turcas & Judæos. Asinorum & canum cura debebat eis committi. Præterea si maximè essent veri Episcopi, qui & habere evangelium & veros concionatores ordinare vellent: tamen nec possèt, nec deberent id facere sine voluntate, electione & vo-

tionem ecclesie. Hec Lutherus ibi: quibus addi possunt que in eadem ferè sententiam scribit D. Ægidius Hunnius, in commentario epistole ad Titum, cap. 1. T. 3. fol. 332, quò brevitatis causa lectorem remittimus,

24. Rationem addimus unicam ex antedictis desumptam: Nullo vocatione destituti, pro ministris ecclesie agnoscendi sunt: ut patet ex Rom. 10. v. 15. Omnes obrusi ecclesie, per ejus heredes, sunt destituti vocatione. E. nulli eorum pro ministris ecclesie sunt agnoscendi. Assumptio probatur, ex his, que dicta sunt in precedenti questione, ex quibus constat, quod omnis mediata, legitima & ordinaria vocatio tantummodo ab ecclesia ejusq; membris offerri possit: & proinde, qui ab ea non sunt vocati, eos destituti vocatione vera, mediata, legitima & ordinaria. Hostis ecclesie non est ejus membrum: quod itidem est certum & evidens. E. nulla vera, mediata, legitima & ordinaria vocatio ab eodem offerri potest: unde sequitur, ab eodem obrusos destituti vocatione illa, de qua loquimur.

25. IV. Q. An etiam mali ministri divinitus vocentur? R. affirmamus, sed cum distinctionibus & limitationibus certis.

26. Mali ministri sunt aut doctrina aut moribus, aut etiam utroq;: omnes legitime & ordinarie per ecclesiam vocatos divinitus vocari & miti statuimus, distinctione tamen quadam adhibita inter causam impulsivam (ut ita loquamur) in vocatione & missione bonorum & malorum, que ibi est gratia, hic ira & pœna: item in forma vocationis & missionis, que in bonis est gratiosa excitatio & instructio, in malis irata permissio, desertio, & ad fines justitie ipsius convenientes reductio.

27. Argumenta nostra sententie afferimus ex scriptura, antiquitate, & ratione. Scripturæ testimoniorum alia sunt generalia, alia specialia. Generalia sunt hæc: Esai. 45. v. 6. 7. Ego Jehova & nullus præterea: formans lucem & tenebras, faciens pacem & creans malum: ego Jehova facio ista omnia. Thren. 3. v. 37. 38. Et quo dicente, existit aliquid, si Dominus non præceperit? Ex ore excelsi annon prodit malum quodq; & bonum? Amos 3. v. 6. An erit malum in civitate, quod Jehova non efficiat? Hinc ita concludimus: Omne malum pœne est à Deo, ut ex enumeratis scripturæ dictis patet. Missio malorum ministrorum est quoddam malum pœne. E. est à Deo.

28. Specialia sunt hæc duo: Vnum ex V. T. 1. Regum 22. v. 19. & seqq. in primis v. 22. in quo dicitur, quod Spiritus mendacij egressus fuerit in ore omnium prophetarum Achabi, eumq; deceperit, cui egressuro dixit Jehova,

Jehova, Exi & fac ita. Alterum ex 2. Thes. 2. v. 9. 10. Pro eo, quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, propterea mittit illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio.

29. Ex antiquitate allegamus Cyprianum, qui lib. 4. epist. 9. (qua est 69. in Goulartij editione) ita loquitur: Hoc est in Deum non credere, hoc est rebellē adversus Christum & adversus evangelium ejus existere, ut cum ille dicat, Nonne duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris voluntate? & probet majestas ejus & veritas, sine conscientia & permisso Dei etiam minora non fieri, tu existimes sacerdotes Dei sine conscientia ejus in ecclesia ordinari? Huc accommodari potest alius ejusdem locus ex lib. 1. epist. 4. (qua est Goulartij epist. 68.) ubi ita ait: Ordinari nonnunquam indignos non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam presumptionem, & haec Deo displicere, quae non veniant ex legitima & justa ordinatione, Deus ipse manifestat per Oseā prophetam, dicens, Sibimetipsis constituerunt regem & non per me.

30. Ratio à pari desumitur: Magistratus malus est à Deo, Ecclesiastice cap. 3. v. 16. 17. & cap. 5. v. 8. Hoseæ 13. v. 10. Dabo regem (malum) in ira mea, & auferam (bonum) in indignatione mea. E. etiam minister ecclesiae malus. Consequentia probatur ex eo, quod Deus non minus gerit curam ecclesiae, quam reipublicae.

31. De vocatione mediata legitima & ordinaria haec sufficiant: etsi enim praeter dicta possint multa alia de hoc argumento tractari, placet tamen, his vel ad corollaria vel ad aliam occasionem rejectis, hoc tempore nihil amplius proponere, praeter duo dubia, huic materiae de vocatione ministrorum conjuncta & annexa, quae de injuste remotis, vel etiam in officio suo remanentium locis, sive ambiendis, sive accipiendis, moventur. V. Q. igitur sit: An locum vivi adhuc & firmi, suoq; munere adhuc fungentis, liceat petere, aut alicui promittere? R. nos negamus, affirmativam necesse est amplecti, qui ita se ingerunt, aut ingerentibus adjumento sunt, nisi alterutri facienda putent, quae approbanda negent.

32. Argumenta nostrae sententiae haec sunt: Primum: Nullius vocationis legitima & ordinaria natura & conditio omissa est in scriptura sacra: ut patet ex ejus perfectione. Vocationis, de qua quaeritur, natura & conditio omissa est in scriptura, quae hoc genus expectativarum, ut vocant, plane ignorat. E. hoc genus vocationis non est legitimum & ordinarium: & proinde illicitum.

33. Secun-

33. Secundum: Nulla vocatio legitima & ordinaria est juris nature contraria. Omnis vocatio in locum vivi, & suo munere adhuc fungentis, est juri nature contraria. E. nulla talis vocatio est legitima & ordinaria. Assumptio probatur 1. ex illo Christi, Matth. 7. v. 12. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. nemo verò est, qui vellet sibi in eo, quem tuetur adhuc, loco insidias fieri, eumq; ab alio, se adhuc vivo & firmo, ambiri. 2. ex jure tum civili, in quo omnia pacta, quæ alij de rebus cujusquæ adhuc vivi & ignari inveniunt, tanquam odiosa & plena tristissimi & periculosi eventus damnantur. l. fin. C. de pactis: tum Canonico: c. Ne captanda, de concess. præbend. 3. ex vulgato illo Catonis, in mortem alterius spem tu tibi ponere noli: cujus æquitatem ipsa dicitur ratio.

34. Tertium: Omnis vocatio divina, sit citra spoliū aut diminutionem juris & libertatis, quam habet ecclesia in vocando, (ut constat ex questionis secunda explanatione) & semper sortitur suum successum: Deus enim & natura nihil faciunt frustra. Vocatio, de qua agimus, non sit unquam citra spoliū & diminutionem juris & libertatis, quam ecclesia habet in vocando: & sæpe non sortitur successum suum, interveniente morte vocati aut vocati. E. vocatio talis non est divina: & proinde illicita.

35. VI. Q. An in locum injustè remoti vocatus possit vocationem oblatam bona conscientia amplecti? R. negamus.

36. Fundamenta nostræ sententiæ adferimus hæc duo: Prius: Omnis invasio loci alteri divinitus mandati, quem ipse adhuc potest & vult tueri, est illicita. Omnis acceptatio vocationis factæ in locum injustè remoti est talis invasio: ut patet. E. est illicita. Propositio probatur à genere: Omnis usurpatio alieni officii est interdicta & prohibita, partim directè, 1. Thess. 4. v. 11. 1. Pet. 4. 15. partim per indirectum & ex opposito, dum unusquisq; prout vocatus est, ambulare jubetur, 1. Cor. 7. v. 17. & 20. & confirmatur id ipsum ex praxi laudata, qua nemini conceditur in alterius parochia concionem habere ipso invito, aut quenquam ex auditoribus alterius in sua parochia ad cœnæ Domini admittere: imò ne orthodoxo quidem licet in heterodoxi Ecclesia predicare, etiamsi ipsum opus per se esset necessarium & utile, ut D. Lutherus T. 5. Jenensi germ. in Psalm. 82. explanatione, fol. 76. docet, idq; probat ex 1. Pet. 5. v. 3. ubi auditores sive populus cujusq; Ecclesie dicitur κληρονομία, quod unicuiq; pastori sua portio & sors certa obigit. Omnis autem acceptatio vocationis factæ in locum injustè remoti est usurpatio alieni officii. E. est interdicta & illicita.

37. Postea

37. **Posterius!** *Communicatē quocunq; modo peccatū alienū est illicitam.* Amplecti vocationem ejusmodi in locum injuste expulsus est communicare peccatis alienis. qui enim acquiescit vocationi, is tacite approbat expulsionem antecessoris injustam. E. id est illicitum.

38. Huc referri potest D. Lutheri consilium, ex T. 5. Fenenst germ. fol. 358. ad pastorem, cuius collega expulsus erat injuste à Senatu ejus loci, & jam in eo erat, ut successor expulso surrogaretur: in quo partim dehortatur à tacito consensu in expulsionem injustam, & surrogationem iniquam: partim monet & docet, quid pastori dissentienti sit dicendum, ut & senatum & populum ab incepto injusto revocet, & quid faciendum, si recte monenti non obtemperet.

39. Hactenus de vocationis necessitate, jure & legitima ratione: ejusdem cum sint aliquot velut gradus, nominatio nimirum sive presentatio eligendi, presentati examen, examinati approbatio sive confirmatio, confirmati ordinatio eiq; conjuncta in officium suum immissio; de iis quæ difficultatem & dubitationem præ cæteris habere nobis videntur, pauca problemata subnectemus. VII. Q. igitur sit: Numquid patronis parochiarum jus nominandi sive presentandi possit concedi, salva approbationis aut rejectionis potestate relicta reliquæ Ecclesiæ? R. affirmamus, cum hac tamen conditione, ut videant, qui concesserunt, ne patroni ea prerogativa abutantur.

40. Rationem nostræ sententiæ addimus duplicem: unam, quod juri totius Ecclesiæ nihil hoc pacto decedit: siquidem non amittitur, quod alienæ fidei recte committitur: alteram, quod bene meritis honos & gratia debetur. bene autem meritos esse patronos aut eorum majores sive foundationibus, extructionibusve templorum, sive dotationibus, sive aliis beneficium singularibus in parochiam collatis, & idcirco hoc jus nominandi in ipsos à reliqua Ecclesiâ esse translatum, constat ex vulgato versiculo: Patronum faciunt, dos, edificatio, fundus.

41. VIII. Q. Cum in omni ministro eligendo & vocando spectanda sit facultas, & voluntas, & utraq; per examen exploranda; dubitari non immerito potest, an sufficienter illud instituat, si pro more in notitiam capitum præcipuorum nostræ religionis, & in dona ad docendum necessaria per concionem unam aut alteram tantummodò inquiratur? R. affirmantem sententiam pleriq; sequuntur: nos negantem amplectimur.

C

42. Facul-

42. Facultatis nomine tria complectimur : I. *Σωστικὴν* sive notitiam totius doctrinae Christianae in catechismo breviter & in locis communibus theologicis copiosius tractatae, quibus fundamentis singula capita ex scriptura probentur, & quibus rationibus contradicentes redarguantur. II. *δωρεῖαν ἐμπνευστικῶν*, sive donum & dexteritatem docendi alios, 1. Tim. 3. v. 2. 2. Timoth. 2. v. 2. qua ita instructus sit, ut non modo ipse sit tenax fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, sed etiam possit exhortari per doctrinam sanam & contradicentes convincere, Tit. 1. v. 9. Exhortatio autem illa fieri debet, partim institutione morum in justitia, partim correctione vitiorum, partim consolatione afflictorum : sicut convictio contradicentium per redargutionem falsorum dogmatum, ut patet ex scripturae finibus, 2. Tim. 3. v. 16. Rom. 15. v. 4. III. *ἀπὸ πλεονεξίας αἰετικῆς* 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6.

43. Ex commemoratis scripturae testimonijs, praesertim ijs, quibus exhortandi facultatem secundum omnes varietates, quae incidere possunt, requiri ostendimus, patet, non satis esse, si ipse examinandus sciat, esse incumbendum omni virtutum sive operum bonorum generi, & abstinendum esse ab omnibus vitijs, imò specie etiam mali : sed opus esse, ut in promptu habeat rationes, quibus ad hanc vel illam virtutem excitet, quibus ab hoc vel illo peccato revocet, denique, quibus in quavis afflictione constitutos erigat & soletur.

44. Auctoritatem & judicia aliorum si quis hoc loco desiderat, ut unum D. Andream Hyperium in prima parte opusculorum theologicorum, ubi tractatur de publico studiosorum in schola theologica examine, pag. 364. consulat, ubi bene longum catalogum ejusmodi questionum, quae ministro futuro tenendae sint, contexit : aut etiam Wilhelmum Zepperum, qui lib. 2. cap. 6. pag. 385. ultimae editionis, de politia Ecclesiastica, similia habet.

45. Ratio idem confirmat : Sutorum, sartorum, & reliquorum opificum nemo idoneus declaratur ad exercendum suum artificium, nisi peritia & dexteritas ejusdem in singulis partibus fuerit explorata. E. multò minus idoneus declarari potest ad hanc artem, omnium artium difficillimam, curandi animas suscipiendam & exercendam, qui non in singulis ejus partibus, quales sunt enumeratae, requisitis necessarijs probè instructus per examen fuerit deprehensus.

46. IX. Q. An etiam inviti & reluctantes eligendi & vocandi sint ? R. per distinctionem duplicem : loci & temporum, quae aut talia

alia sunt, ut idoneorum & volentium copia suppetat, aut contrario modo se habent: item ipsorum vocandorum, qui aut liberi sunt, & justas causas recusandi habent, aut obstricti sunt beneficio ab Ecclesia accepto: de prioribus negamus, de posterioribus affirmamus.

47. Fundamenta nostrae sententiae ex dictis patere arbitramur: unum est necessitas extrema, alterum promissio sive obligatio ex promissione, ut taceamus de gratitudine propter acceptum beneficium debita.

48. Exempla ejusmodi ministrorum, qui primum reluctantes, deinde partim precibus, partim suasionibus aliorum ad ministerium se pertrahi passi sunt, exstant in Chrysostomo & S. Martino: de quorum altero, vide libros sex de Sacerdotio: de altero Severum Sulpitium in vita S. Martini.

49. Restat ut de vocari & examinati ordinatione, quae per impositionem manuum fit, unum dubium explicemus. X. Q. itaq; & ultima sit: An ille ritus impositionis manuum fit necessarius? R. affirmant Pontifici, qui eum absolute necessarium, & tanquam substantiale ordinationis esse volunt, ut constat ex Bell. lib. de sacramento ordinis, cap. 9: nos secundum quid necessarium esse concedimus: quia nimirum citra scandalum hodie omitti non potest, ut qui tot annos adhibitus fuit, & habet suos usus: absolute necessarium esse negamus.

50. Necessitati absolutae, quam urgent adversarii, opponimus partim defectum mandati & promissionis divinae, quae ex scriptura proferri nequeunt, partim exemplum Christi, qui in Apostolorum ablegatione hoc ritu non est usus.

51. Interim non negamus, Apostolos eo usos in initiatione ministrorum ecclesiae, ut constat ex Act. 6. v. 6. cap. 13. v. 3. 1. Tim. 4. v. 14. cap. 5. v. 22. 2. Tim. 1. v. 6 tanquam ceremonia libera & utili, non vero simpliciter necessaria: alioqui precepto peculiari ejus observationem ecclesiae commendassent: ut recte colligit D. Chemnitius L. C. part. 3 pag. 333. cujus sententia subscribimus. Quod restat, Filio Dei sedenti ad dextram Patris, αὐτῷ ἕως καὶ τελειωτῆ ὤσει & Heb. 12. v. 2. toto pectore gratias agimus, quod, quum ascendisset in altum, & captivam duxisset captivitatem, dedit dona in hominibus, & dedit alios quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem Evangelistas, alios deniq; pastores & doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, Eph. 4. v. 8 & seqq: eundem rogamus, ut, quum messis sit multa, operarum pauci, ipse extrudat operarios in messem suam, Matth. 9. 37. 38. efficiatq; ut contra id, de quo queritur apostolus, Philip. 2. v. 21. omnes quarant, non quae sua sunt, sed quae sunt Christi Jesu, Amen.



ἐπίγραμμα προβλημάτων.

1. *An D. Lutherus contra omnium fidelium in orbe consensionem docuerit, idq; ipse fateatur T. 1. lat. in præfatione, ubi ait, Solus primò erã: (Arturus legit, Initio: quod arguit eum non inspexisse Lutherum, sed ab alio fortè allegatum locum citasse) Et idcirco à nemine vocatus Et missus fuisse verè dici possit? R. affirmat Laurentius Arturus in prima parte, assertione XI: nos negamus.*

2 *Anne Calvinus statum controversiæ, quæ est inter nos Et ipsã ejusq; gregales, de efficacia verbi Et sacramentorũ, corrumpat, lib. 4. instit. c. 1. § 6. Et cap. 14 § 17. dum priori loco de ministrorum cooperatione, ex alijs Et ex Paulo productis testimonijs, subjicit, Hæc certè omnia nunquam eò protulit, ut vel tantillum sibi seorsim à Deo tribueret. Item: Ceterùm quàm nihil separatim ministris residuum faciat, ex alijs locis patet. Posteriori autem loco ita scribit: Tantùm hîc quæritur, propriane & intrinseca (ut loquuntur) virtute operetur Deus, an externis symbolis suas vices resignet? Resp. affirmamus.*

3. *Numquid eorum tantum sit vocare, quorũ est stipendium solvere, aut solvendum curare? Resp. negamus.*

4. *Sitne*

4. Sitne ad veram & legitimam vocationem necessarium semper plures presentari, an etiam unus sufficiat? Resp. Posterius affirmamus.

5. Utrum, qui in examine deprehensi sunt, nondum habere pastori futuro necessariam & sufficientem Christiana religionis notitiam, nihilominus ad ministerium admittere liceat, modo promittant in discendo industriam, & eisdem spacium ad ea, quae nondum didicerunt, concedatur, quo elapso iterum examini se sistant? R. negamus.

6. An, qui scortatione, alijsve sceleribus polluti, ad ministerium sint admittendi? Resp. affirmativam probat Zanchius pag 195 lib. 1. Epist. nos distinctio-
ne quadam adhibita concedimus.

7. An in locum vivi, sed atate aut morbo ita confecti, ut suo muneri praesse nequeat, eligere & vocare alium liceat? R. Dist.

8. An omnis ordinatio fiat per ordinariam potestatem ecclesiasticam? Resp. Pontificij affirmat, nos negamus.

9. Χειροτονία & χειροθεσία an differant, & an altera pro altera usurpetur aliquando? R. utrumq; affirmamus.

10. Numquid ad certos annos ecclesia suam operam addicere liceat? Resp. Negamus.

11. An promotio theologica siue gradus Docto-

ris in Theologia possit esse loco ordinationis? Resp. affirmant nonnulli: nos negantibus in hoc subscribimus.

12. An pro ordinationis labore quicquam praemij accipere liceat? Resp. Basilio M. Epist. 76. negativa placet, quam etiam veterum Canonibus sancitam fuisse docet Vir Cl. D. Joachimus Stephani lib. 1. Institutionum juris Canonici, cap. 7. S. 27. sed recentiorum aliam fuisse sententiam ibidem docetur. Nos distinctione quadam adhibita hanc quaest. decidendam statuimus.



Gregorius Nazianzenus de studijs & moribus eorum, qui, quo ipse vivebat seculo, Theologiae operam dabant, interprete Jo. Lewenclajo: Graeca auctoris, verba leguntur in Hervagiano exemplari, pag. 22.


Hebraeorum sapientes hanc olim Hebraeis legem fuisse narrant, imprimis egregiam & laude dignam, qua non cuivis aetati quivis scripturae liber concedebatur: Verum alij libri jam inde à prima aetate omnibus per mittebantur, communesq; erant: alij autem his duntaxat, qui vicissimum quintum aetatis annum excessissent. At nobis docendi discendiq; nullus status est terminus, quemadmodum olim (Gr. ὁμοίως οἱ ἱερεῖς πάλαι) Israeliticis tribubus cù Jordanem & ultra eum sedes habentibus, nec quibus illud, quibus rursus hoc committendum sit, praescribitur, nec ad ullam normam hominum precia qualitatesq; perpenduntur: (Gr. ἔδέ τις κατὰ τῶν ἔξων) verum ita projecta atq; contempta & confusa, hec res est, tamq; malè affecti sumus, ut major pars nostrum, ne dicam, omnes, prius fere quàm lanuginem primam abjecerint, pueriliq; more balbutire

butire deserint, priusquam divina atria ingressi sint, priusquam sacra volu-
mina vel de nomine noverint, priusquam novi veteriq; Testamenti signa no-
tasq; cognoverint: (nondū enim dico, priusquam impure flagitiosaq; vitæ cœ-
num absterferint, easq; animæ fœditates, quas nobis peccatum aspersit) si
duas aut tres piæ voces edidicerimus, ac ne quidem ex lectione, sed ex audi-
tione, aut Davidi nonnihil operæ dederimus, aut pallium scite contraha-
mus, aut zona tenus philosophemur, pietatūq; specie quadam & fūco nos-
metipfos oblinamus; (papa; quam egregia præfectura! quàm excelsus
animus!) protinus Samuelē ab ipsis incunabulis sacrosanctū in ore habemus,
protinus sapientes sumus, & præceptores, & rerum divinarum cognitione
sublimes, & Scribarum & Legulatorum primi, nosq; ipsos calculo nostro
cœlestes designamus, ac vocari ab hominibus Rabbi expetimus: nec usquam
literā, sed omnia spiritali modo intelligenda sunt, meraq; deliramenta
insomnia nostra, (Gr. ἡ δὲ λῆξις & πλεονεξία τῶν ἐπιείκων &c.) indignaq; &
molestē tulerimus, nisi mirificis laudibus efferamur. Atq; hec optimi quiq;
nostrum & simplicissimi. Quid porro ἦ, qui spiritu animoq; majore sunt?
Multi verbi nos, si ita visum fuerit, accusant atq; condemnant, miserūq;
modis exagitant, nec loco ullo ac numero habent, tandemq; abscedunt, so-
cietatemq; nostram ut impiorum hominum averfantur. Quod si cum eorum
aliquo leniter ac disputationis modo eum ad meliorem sententiam adduce-
re tentantes ad hunc modum agamus, Dic mihi, vir eximie, vocas ne ali-
quid saltare & tibia canere? Maxime verò, inquiet. Quid sapientiam &
sapientem esse, quam nos divinarum humanarumq; rerum scientiam defi-
nimus? id quoq; concedet. Age verò, censes ne artes illas sapientia meliores
& sublimes esse, an hanc potius illis multò superiorem? imò omnibus
quoq; alijs, haud dubie dicturus est: atq; hætenus illis constat animi can-
dor & probitas. An igitur saltationis quidem & tibiæ ludi doctrinam
quandam & disciplinam esse dicemus, ad eamq; colligendam & diuturno
tempore & plurimis laboribus sudoribusq; opus esse, mercedemq; etiam in-
terdum numerandam, commendatoresq; adhibendos, longasq; peregrina-
tiones incundas, ceteraq; omnia faciendā & perferendā, quibus arii Peri-
tia comparatur: sapientiam autem, quæ omnia regit, complexūq; suo, quic-
quid usquā laudabile & præclarum est, tenet (adeo ut ipse Deus quoq;, quam-
vis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensius quàm ullis
alijs delectetur.) rem usq; adeo levem & protritā existimabimus, ut ad sa-
pientis nomen adipiscendum voluntas sola requiratur? Magnæ herclè stul-
titiæ

vitie hoc fuerit. Si haec ad eos orationem habeamus, erroremq; paulatim
 emovere ac repurgare nitamur, aut alius quispiam majori ingenio & saga-
 citate praeditus, idem egerit, ac si semina in petras fundat, aut ad surdo-
 rum aures loquatur. Ita ne haec tenus quidem sapientes sunt, ut inscitiam
 suam agnoscant. Ac mihi pulchre illud Salomonis huc quadrare videtur, Est
 perversitas, quam vidi sub Sole, hominem opinione sua sapientem, & quod
 sceleratius est, alijs instituendis praefectum, qui ne suae quidem ignorantiae
 sibi sit conscius. Hoc vitium lachrymis quidem & luctibus, si quod aliud,
 dignum est, idq; saepenumero mecum ipse deploravi, optime sciens, opi-
 nionem rei opinione concepta maximam partem auferre (Gr. τὸ ἐκείνου,
 τὸ εἶναι τὸ ἀδείσων ἀφαιρεῖται) inanisq; gloriae studiū ad virtutis adeptione
 hominibus plurimum obesse: ceterum hunc morbum sedare ac depellere Petri
 cuiusdam aut Pauli fuerit, magnorum Christi discipulorum, qui divino
 munere hoc consecuti sunt, ut rebus & verbis gregem commissum governa-
 rent, omnibusq; omnia fierent, ut omnes elucrarentur. Nobis aut alijs ma-
 gnam atq; amplum fuerit, si ab ijs, quibus sanandarum corrigendarumq;
 huiusmodi rerum provincia mandata est, recte gubernemur
 atq; ducamur.



butire desierint, priusquam divina atria ingressi sum-
 mina vel de nomine noverint, priusquam novi veteris-
 itasq; cognoverint: (non dū enim dico, priusquam impu-
 num absterferint, easq; animæ sorditates, quas no-
 duas aut tres pias voces edidicerimus, ac ne quidem es-
 tione, aut Davidi nonnihil operæ dederimus, aut
 mus, aut zona tenus philosophemur, pietatūq; spec-
 metipso oblinamus, (papæ, quā egregia præf-
 animus!) protinus Samuelē ab ipsis incunabulis sacro
 protinus sapientes sumus, & præceptores, & rerum
 sublimes, & Scribarum & Legulorum primi, in
 cœlestes designamus, ac vocari ab hominibus Rabbi
 literā, sed omnia spirituali modo intelligenda sunt
 insomnia nostra, (Gr. $\mu\epsilon\lambda\epsilon\tau\epsilon\sigma\iota\varsigma$ & $\pi\lambda\alpha\tau\epsilon\sigma\iota\varsigma$ τῶν
 molestè tulerimus, nisi mirificis laudibus efferamus
 nostrum & simplicissimi. Quid porro ἦ, qui spiriti-
 Multis verbis nos, si ita visum fuerit, accusant atq;
 modis exagitant, nec loco ullo ac numero habent,
 pietatemq; nostram ut impiorum hominum averfant
 aliquis leniter ac disputationis modo eum ad meliori-
 re tentantes ad hunc modum agamus, Dic mihi, v-
 quid saltare & tibia canere? Maxime verò, inquit
 sapientem esse, quam nos divinarum humanarum
 nimus? id quoq; concedet. Age verò, censes ne arte
 & sublimiores esse, an hanc potius illi multò sup-
 quoq; alijs, haud dubie dicturus est: atq; hæcenus
 dor & probitas. An igitur saltationis quidem &
 quandam & disciplinam esse dicemus, ad eamq; o-
 tempore & plurimis laboribus sudoribusq; opus esse
 terdum numerandam, commendatoresq; adhibenda-
 tiones ineundas, ceteraq; omnia faciendā & perfer-
 tia comparatur: sapientiam autem, quæ omnia regi-
 quid usquā laudabile & præclarum est, tener (adeò u-
 vis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomi-
 alijs delectetur.) rem usq; adeò levem & protritā
 pientis nomen adipiscendum voluntas sola requirat



the scale towards document

a volu-
 na no-
 ita ce-
 (sic) si
 audi-
 traha-
 co nos-
 xcelsus
 emus,
 nitione
 nostro
 squam
 menta
 neq; &
 i quig;
 e sunt?
 iserug;
 ent, so-
 eorum
 dduce-
 ne ali-
 iam &
 m defi-
 meliores
 mibus
 mi can-
 trinam
 uturmo
 am in-
 egr'na-
 tus Peri-
 uo, quic-
 quam-
 am ullis
 ut ad sa-
 cle stul-
 ime